

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Timotheum Priorem Argumentum Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
EPISTOLAM
PAULI AD TIMOTHEUM
PRIOREM
ARGUMENTUM
PER
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

Timotheum matre Judaea, sed christiana, patre Graeco, Paulus in ministerium adoptarat, probae indolis iuvenem, et sacris literis eruditum, quem tamen ob Judaeos coactus est circumcidere. Quoniam autem huic ecclesiarum curam delegarat, sicut et Tito, quas ipse non poterat adire, instituit eum in functione episcopali, et in disciplina ecclesiae, non sic admonens, ut discipulum, sed ut filium et collegam. Id quo quum maiore faciat auctoritate, subinde apostolicam auctoritatem sibi vindicat. Admonet autem, ut reiectis, qui iudaicas fabulas invehent, ea doceret, quae essent fidei et caritatis. Deinde principum licet ethnicorum auctoritatem, quoniam hinc pendebat ordo civitatis, et tranquillitas reipublicae, adeo non spernendam christianis, ut pro his orari iubeat. Quid viros deceat in coetu ecclesiastico, quid mulieres, praescribit. Episcopum depingit cum sua familia. Atque haec ferme

tribus primis capitibus. Deinde admonet, ne recipiat iudaicas fabulas, de ciborum delectu, de vitando coniugio. Mox docet, qualem se praestare debeat erga grandes natu viros, erga iuvenes, erga anus, erga puellas, erga viduas divites ac pauperes, et ecclesiae stipe alendas, erga adolescentiores, et suspectae etiamnum aetatis. Ad haec praescribit, quid praecipere debeat dominis, quid servis, quid divitibus, admonens modis omnibus reiiciendas contentiosas quaestiones sophistarum, inani doctrinae specie sese venditantium. Scribit e Laodicea per Tychicum diaconum.

ARGUMENTI FINIS.

IN
 EPISTOLAM
 PAULI AD TIMOTHEUM
 PRIOREM
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM

CAPUT I.

PAulus apostolus, ac legatus, ne quis suspicetur, me
 meum aut humanum agere negotium, et legatus non
 Mosi, aut cuiusquam alterius hominis, sed legatus Ie-
 su Christi, qui et ipse pridem patris vice legatione fun-
 gens, bona fide peregit illius negotium, a quo fuerat
 delegatus. Porro legationem hanc nec ipse mihi vin-
 dicavi, nec ab homine suscepi, sed ad eam non solum
 vocatus sum nutu aeterni numinis, verum etiam iuf-
 su et auctoritate adactus, adeo ut mihi liberum non
 fuerit deprecari munus, licet arduum, quod iniunge-
 bat auctoritas Dei, quem habemus unicum omnis no-
 strae salutis auctorem. Quidquid enim nobis iniunxit
 filius auctore patre, id ab ipso patre iniunctum inter-
 pretor, per quem et illi debemus salutem, sive dum
 huius morte sumus ab aeterno exitio redempti, sive dum
 huius praesidio ab urgentibus afflictionum procellis eri-
 pimur. A quibus etiam si non contingat interim eri-